

Deos et venerari, et colere, debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur.

Deus habet locum nullum in terra gratiorem animâ pura.

Non templa illi, congestis in altitudinem saxi, extruenda sunt; sed in suo cuique consecrandus est pectore.

Deos placatos pietas efficiet et sanctitas.

2. Animadverto, etiam deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate, laetari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatam carmen intulerit.

Colitur (deus) non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate.

Nec in victimis quidem, licet opimae sint, auroque praefulgeant, deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt; mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.

Facito sacra diis caste et pure, pro facultate, atque placa eos, et quando ieris cubitum, et quando tempus matutinum venerit, ut sint animo benevolo in te.

CAPUT VI.

DEUS EST COLENDUS MAGIS PIE, QUAM MAGNIFICE.

1. *Ad divos adeunto caste; pietatem adhibento: opes amovento.* Significat (haec lex) probitatem gratam esse deo: sumtum esse removendum. Quid est enim, quum paupertatem divitiis etiam inter homines esse

Cic. N. D. 2, 28. — Hierocl. in earm. Pyth. — Sen. apud Lact. 6, 25. — Cic. Off. 2, 3. — Plin. in paneg. 6, 3. — Sen. ep. 115. Benef. 1, 6. — Hesiod. Oper. v. 336. 48. — **Cap. VI.** Cic. Legg. 2, 8, 10.